448

G

120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

KW
448 G 120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

DISSERTATIO HISTO...

*DE*

# LUCII BRITONUM REGIS, JUL. MAMÆÆ AUG. ET PHILIPPI UTRIUSQUE IMPP. Credito temerè Chriſtianiſmo.

PARS PRIMA.

*QUAM*

FAVENTE DEO OPT. MAX.

SUB PRÆSIDIO

*Viri plurimum Reverendi & Celeberrimi*

D. FRIDERICI SPANHEMII, F. F. SS. Theol. Doct. Acad. Lugd. Bat. Profeſſoris Primarii, Bibliothecarii &c.

*Publicæ ventilationi ſubjicit*

ANTONIUS CONYNENBERGH, Amſtel.-Bat.

*Ad diem 26. April. horâ locoque ſolitis ante merid.*




*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCVIII.

40

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

*ſſimis, Integerrimis*

VIRIS

D. JACOBO CONYNENBERGH,

Fratri Chariſſimo.

D. CASPARO LOOTSMAN,

D. ABRAHAMO vander MEER,

Avunculis exoptatiſſimis, filiali amore ſemper proſequendis, Mercatoribus apud Amſtelodamenſes florentiſſimis.

NEC NON

*Doctrina ac Pietate Clariſſimis,*

D. ISAACO SEVENHOVEN,

Cognato Venerando,

D. ADRIANO van WESEL,

Sacrorum Oraculorum, illi Lugduni Batavorum, huic Amſtelodami, Diſpenſatoribus Facundiſſimis, Orthodoxæ veritatis vindicatoribus indefeſſis, de me plurimum meritis.

JUXTA QUOS

D. DAVIDI HOOGSTRATEN,

Medicinæ Doctori expertiſſimo, Gymnaſii Amſtelodamenſis Conrectori Prudentiſſimo, Olim mihi Præceptori facillimo, optimo.

Diſputationem hanc
in grati animi teſſeram
humillime offero

ANTONIUS CONYNENBERGH,
*Reſpond.*

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

# DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOG.

## DE

# LUCII BRITONUM REGIS, JUL. MAMEÆ AUG. ET PHILIPPI UTRIUSQUE IMPP.

## Credito temerè Chriſtianiſmo.

### PARS PRIMA.

### THESIS I.

Fuit hæc Chriſtianæ Eccleſiæ à primis ferè temporibus ſors quædam, ut quæ tot luminibus coruſcaret, tot veritatis teſtibus ac præſidiis muniretur, interim ſibi illudi paſſa ſit; non jam putidis aut anilibus commentis, & fabellis ſine fine, ſed & narratis in ſpeciem authenticis, quæ hiſtoriæ fidem quandoque apud emunctioris naris Criticos, aut melioris notæ Hiſtoricos, meruêre. Illi quidem, facili & piâ credulitate, fraudem non advertentes; hi amantes quandoque ἀπὸ τοῦ ψεύδους τὴν ἀλήθειαν συστήσασθαι. Ad utramque, vel alterutram originem, referimus ſplendidos illos

Crucis triumphos, magnifica illa τῆς χριστιανικῆς πίστεως τροπαῖα, de auguſtis *ſecundi* & *tertii* Seculi Capitibus, quæ aut plurimis Chriſtianæ Hiſtoriæ ſcriptoribus tradita, aut etiam Virorum primæ notæ ſuffragio ſubnixa. Non jam illorum ſuſpiciones dicimus, qui in Chriſtianis fuiſſe ſuſpicati, ſecundo Seculo, v. gr. *Aquilam* Ponticum, *Peregrinum* Philoſoph. *Lucianum* Samoſatenum, transfugas alios, dehoneſtamenta veriùs Chriſtiani nominis: Vel etiam in Clarorum virorum choro, *Diogenem* qui de Vitis Philoſophorum commentatus eſt, à patriâ *Laertâ*, Ciliciæ oppido, cognomento *Laertium*; idque ob phraſes quaſdam Chriſtianis non inſuetas, ut ἐλεημοσύνην διδόναι, in Ariſtotelis Vita, & ſi quæ id genus aliæ. Cujus Chri-
*Orig. c. Celſ. L. 1. p. 14.* ſtianiſmo objici poteſt, quod Celſo Origenes; ὅτι Μωϋσέα ἐξέβαλε τοῦ καταλόγου τῶν σοφῶν, *quod Moſem excluſerit à Sapientum ordine*; dùm *Epicurum*, & alios, iis accenſet. Illuſtriores ad fidem Chriſtianam Converſiones volumus, plurium etiam teſtimonio roboratas; de quibus ἐπίκρισιν quandam noſtram flagitarunt, qui me ſui participem amoris faciunt, neque in his ἀλήθεια ἔχει πικρόν τι.

II. Celebris eſt in Britannorum Annalibus *Lucii* in ea gente Regis, altero à Chriſto nato ſeculo, cum Conjuge ſuâ, imò Gente totâ, ad Chriſtianam fidem inductio, & per S. Baptiſmum, procurante Rom. Epiſcopo, initiatio. Referunt diverſimodè quanquam, *Beda* in Hiſt. Anglo-Saxonum, *Pſeudo-Damaſus in* Vita Eleuth. *Martyrolog*. Roman. ad III. Non. Decemb. *Ado* Vienn. in Brev. Chronicorum, *Galfridus* Monumethenſ. de Geſtis Britonum, *Ninnius* in Hiſt. Britonum, *Rad. Dicetus* in Hiſt. Regum Britanniæ, *Joh. Fordonus* in Scoti-Chronico, & cæteri producti ab Uſſe-

Uſſerio Armach. Henr. Spelmanno, Edw. Stillingfleetio, omnium inſtar. Quales ſunt *Antiquitates* vel *Annales* Burtonenſes, Landavenſes, Lichfeldenſes, Wintonienſes, Roffenſes, Saxonici, Aſſeriani, aut Eccleſiæ Britannicæ Joh. Jocelini &c. De quorum omnium Scriptoribus, & tempore, egregiè diſſertat *Præfatio* ad Angliam Sacram. Adde *Chronica* Mariani Scoti, Luitprandi Ticinenſ. Sigeberti, Herm. Contracti, Abbonis Floriac. Florentii Wigorn. Guil. & Galfridi Malmesburienſis, Henr. de Erfordia, Henr. Huntingtonenſis, alia benè multa. Ne recenſeam Matth. Pariſium, & qui hunc in multis deſcripſit Matth. Weſtmonaſterienſem, B. Platinam, Joh. Trithemium, Joh. Nauclerum, Polyd. Virgilium, M. Ant. Sabellicum, Petr. de Natalibus, Hector. Boëthium, M. Velſerum, ſexcentos alios, quorum ſcripta in Bibliothecis obvia, multa præthereà inedita. Hinc in Chriſtianorum Regum catalogo primus apparet *Lucius*, aut Britanniæ Rex, aut certè in Britanniâ regnans, converſus ad Fidem Evangelii omnium iſtorum calculo; quanvis de *tempore* iſtius Converſionis magnoperè inter ſe litigent. Undè XXIII. ſententias variantes numerat Uſſerius Armach. nempè ab Anno CXXXVII. *Hadriani* Imp. ultimo, ad Ann. CXC. imperante *Commodo*, ſub quo & fidem ſuſcepiſſe Lucium cenſet Baronius. Imò rem accidiſſe *Papâ Romano Euariſto*, habet Ninnius in Hiſt. Britonum, qui jam ſub Nervâ & Trajano ſederit, quanquam annum ſignet, *Domin. Incarn.* CLXIV. quo Soter Roman. Epiſcopatum tenuit. Undè ſuſpicio ſit, *Euariſti* nomen irrepſiſſe loco *Eleutherii*. Fuêre & qui, majori auctoritati conciliandæ, voluerunt hunc Lucium à *Timotheo* Pauli diſcipulo baptizatum, cujus eruditione ad fidem Chriſtianam

*Uſſer. Antiq.* C. III. IV. *Spelm. Concil. Br. p.* 34. 35. *Stilling. Orig. Brit.* C. II.

*Antiq.* C. III.

*Ad A. Ch.* CLXXXIII. N. III.

*Hiſt. Brit. Ed. Oxon. p.* 103.

 nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

nam eſſet inductus, ut Petrus de Natalib. Epiſcopus Equilinus, Sec. XV. ſcriptor, in Catalogo de Sanctorum Vitis, & Pantaleon Baſileenſis in Viris Illuſtribus Germaniæ; quanquam alium velit *Timotheum* Baronius. Plerorumque tamen conſenſio eſt, accidiſſe rem *Marco Aurelio* & *L. Vero* imperantibus, *Eleuthero* ad Romanum Epiſcopatum jam admoto: Sive factum fuerit A. CLXIV. ut Ninn. ſive CLXX. quando Soteri ſucceſſit Eleutherus, ſive A. CLXXV. ut habent Annales *Lichfeldenſes*, vel LXXVI. quo juxtà Chronicon Euſebii idem Pontificatum inierit. Qui annus præceſſit illum Perſecutionis Gallicanæ, Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis, quæ accidit juxtà accuratiſſimus Chronologos M. Aurelii XVII. Chriſti CLXXVII. quando miſſus fertur ab iiſdem *Irenæus* ad Eleutherum, juxtà Feuardentium, & Baronium: Sed invito non modò H. Dodwello, V. Clariſſ. qui Irenæum ait tum occupatum in ſcribendis *Libris* adverſus Hæreſes, ſed & Henr. Valeſio. Qui| deſtinatum quidem Irenæum ad literas Lugdunenſium Martyr. Romam perferendas, ſed interveniente Martyrio Photini Epiſcopi, & optato ſucceſſore Irenæo, perferre deinceps non potuiſſe, ut pluribus ille in *Annotat.* ad Euſebium.

*Lib.* I. *C.* XXIV. *Pant.* P. I. *p.* 116. *Bar. ad A.* CLXVI. N. II.

*Dodw. Diſſ. in Iren.* IV. *p.* 372. *&c.*

*Annot. in Lib.* V. *Cap.* XV.

III. Ut tempus diverſimodè relatum eſt, ſic & *occaſio* quâ Lucius ad fidem adductus fuerit. Quidam factum poſt Britanniam Luce Evangelii jam ab Apoſtolicis temporibus colluſtratam, & ſollicitatum ſæpiùs Lucium ab *Eluano*, qui Glaſtoniæ ageret, ſeu in Avaloniæ ſolitudinibus, Chriſtiano Doctore ac Magiſtro, ſed *à Druydis ſuis perſuaſum, animo variè fluctuaſſe*. Alii, auditâ ſolâ fidei famâ, & Chriſtianorum à primâ origine ſanctitate, conſtantiâ, mi-

*Balæus. Cent.* I. *N.* XXVII. *in Eluano.*

B
90

miraculis, ex ſe ipſo inductum, ut legationem ad Eleutherium mitteret. Quidam etiam permoviſſe imprimis Miraculam, quod contigiſſet ſub M Aurelio, Anno Imp. XIV. Chriſti CLXXIV. in *pluviâ* illâ *miraculoſâ* Chriſtianorum precibus impetratâ, quam Literis ſuis ſignificaverit Marcus Imp. inſertis Operibus Juſtini M. de quâ re pluribus noſtra (quæ ſub prælo eſt) Eccleſiæ Hiſtoria; [*Secul.* II. *col.* 660. 661. 662.] Et ità quidem Chronica Britannorum varia, & Nicolaus Harpsfeldius, in Hiſtoricâ Eccleſiaſticâ Anglicanâ, [*Harpsf. Hiſt.* C. III.] qui *Lucium fortè moviſſe* has Marci Literas ſcribit: Cui etiam Imperatori Lucium benevolentiâ & familiaritate conjunctum fuiſſe, [*Antiq. Brit.* p 4.] referunt Antiquitates Britannicæ, Matth. Parkeri Cantuarienſis juſſu collectæ. Alii, ut ibidem legere eſt, factum occaſione edicti quod à Romanis prodiiſſet, de *abolenda Druydum ſuperſtitione*, quæ jam antiquitus in Britanniis viguiſſet, unde in Gallias tranſlata. Et hinc factum ut Lucius, ante Druydum placitis addictus, de Religione & vero Dei cultu attentius cogitarit, unde conſilium delegandi ad Eleutherium. Nec deſunt *Annales* quales ſunt Fabii [*Libro* I. *Annal. Uſſer. Antiq.* c. IV.] Quæſtoris Ethelwerdi, & ſi qui alii, in quibus conſilium de convertendo Lucio Rege ab *Eleuthero* primò profectum, qui *per literas*, & *nuntium*, adierit Inſulæ Britanniæ Regem, qui tum *poteſtate pollebat*, ut ei Chriſtianiſmum perſuaderet. Baronius addit [*Bar.* ad A. CIXXXIII. N. IV.] circumſtantias quaſdam alias, ut de *Senatoribus* quibuſdam Romanis, inter alios *Pertinace* & *Trebellio*, quos ex Legatis Cæſaris Chriſtianos factos eſſe acceperat Lucius; hinc propenſiorem factum hunc regem in Chriſtianam Religionem, miſiſſe ad Eleutherium. Et hæc refert, tanquam quæ vetuſtioribus *Monumentis de Lucio prodita*; quæ ſummus Uſſerius [*Uſſer. Antiq.* p. 46. 52. 53. &c.] oſten-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

oſtendit, ex Magdeburgenſibus fuiſſe à Baronio prompta, & ridet hinc Ant. Pagi, ad A. Ch. CLXXXI. in *Criticâ Baron.* Qui verò converſum fuiſſe hunc Regem ſub extrema Hadriani, vel ſub Antonino Pio, vel ſub Commodo, alii alia comminiſci neceſſe habuerunt.

*Beda Cap. IV. pag. 28.*

IV. Jam *modus* converſionis non unus eſt apud Chronographos. Beda quidem, in Hiſt. Anglo-Saxonum, miſiſſe Lucium *Epiſtolam*, in quà *obſecrabat ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur*, nulla legatorum mentione. Plerique autem in eo conſentiunt, Romam miſſos à Lucio Rege ad Eleutherium, qui tum Romanæ Eccleſiæ præerat, legatos duos, *Elvanum* Avalonium, (quem Boëtius *Scotum*, ſeu *Hibernum* facit) & *Medwinum*, alii *Edwinum*; ſeu jam hi fuerint ex veteribus in Britanniâ Chriſtianis, quorum ille Librum ſcripſerit de *Origine Eccleſiæ Britann.* ſeu iidem in ipſâ legatione Romæ primùm Baptiſmo initiati. Non tamen miſerit hos ad Eleutherium Lucius, quod hunc crederet eſſe univerſalis Eccleſiæ Caput; ſed quod Roma eſſet præcipua Chriſtianiſmi ſedes, ad quam ob Urbis prærogativam undique Chriſtiani confluerent. Igitur accerſitos, fuiſſe volunt Româ Doctores, mittendos ab Eleutherio, (quamvis jam in *Glaſtonienſi* Inſulâ *Avaloniæ*, ſic *Cantabrigiæ*, *Eboraci*, aliiſque in locis, Chriſtianos Doctores celebrent Chronica Britannorum) qui Regem cum ſuis de fide Chriſti edocerent, ac Sacro Baptiſmo tingerent. Hos miſſos Eleutherii vocant rurſus diverſimodè; communiter *Phaganum* & *Derwianum*; alii *Fugatium*, vel *Fuganum*, *Fagatium*, *Fagaunum*, *Euganum* &c. & *Damianum*, *Duvianum*, *Dumanum*, *Duma-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

*mianum*, *Divianum*, *Divinianum*, *Donatianum* &c. ut videre eſt ex diverſis Chronicis, vel apud eundem Uſſerium Armach. Qui ubi in Britanniam appuliſſent, cum Legatis Lucii, poſt inſtructum Regem, eundem ſacro fonte abluerint, cum totâ Domo, dein & Baptiſmi Sacramento tinxerint *concurrentes undique Nationum populos*, *deleto per totam ferè Inſulam Paganiſmo*, ut diſertè Galfridus Monumethenſis Archidiac. celebris ſeculo XII. & in eandem ſententiam plures alii. Locum etiam baptizati Lucii quidam deſignant, ut Chronica Britonum abbreviata, *in urbe Trinovantum*, id eſt hodie Londinenſi. Non deſunt verò qui Lucium baptizatum volunt, à *Timotheo* Presbytero, viro ſancto, vel à *Marcello*, qui fuerit Tungrorum Epiſcopus ab anno CXCI. ad annum CCXX; tacitis hiſce Religioſis à Papâ ſubmiſſis. Converſo jam Lucio Rege, *Britannos ſuſceptam fidem*, *uſque in Diocletiani Principis tempora*, *inviolatam ſervaviſſe*, author eſt Beda. Addunt verò paſſim Britannorum (id eſt Monachorum) Chronica, mox conſtitutam fuiſſe Hierarchiam Eccleſiaſticam, id eſt *Epiſcopos*, *Archiepiſcopos*, illos quidem in Flaminum locum qui XXV. hos Archiflaminum, quorum tres ſedes, *Londonii*, *Eboraci*, & in *Urbe Legionum*, quæ in Glamorgantiâ Cambriæ ſeu Walliæ. Nec Britannorum tantum referunt Annales, ſed & Martinus Polonus, B. Platina, Joh. Nauclerus, & alii, adſcriptis ſuis cuique Epiſcopatui limitibus, de quibus prolixè laudatus Uſſerius, Antiq. Eccleſiæ Brit. *Cap.* V. Fundata & Monaſteria ſeu Abbatiæ inclytæ, ac Collegia, qualia S. Petri *Weſtmonaſterienſe*, J. Martini *Cantuarienſe*, ſic *Glaſtonienſe*, *Bangorenſe* vel Banchorenſe, *Wintonienſe*,

*Pag.* 54.

*Hiſt. Brit.* L. II. c. I.

*Uſſer. Antiq.* p. 53. 59

Beda L. I. C. IV.

ſe,

ſe, alia; poſtquàm *Faganus* & *Derwianus* Româ iteratò rediiſſent, muniti literis ſeu reſcripto Pontificis ad Lucium Regem, variiſque conceſſionibus Pontificiis, qui dehinc totam Inſulam peragrarunt. Apographum Literarum, in quibus Lucius dicitur *Vicarius Dei in Regno prædicto*, vide apud Authorem Antiq. Britann. & Uſſerium loco cit. Spelmannum in Concil. Brit. cum Animadverſ. ad eam Eleutherii Epiſtolam, Guil. Lambardum in Ἀρχαιονομίᾳ, &c. Eædem quoque inter Leges Edwardi 1. Confeſſoris relatæ ſunt, quarum authenticum aſſervari dicitur in Bibliothecâ Cottonianâ. Ita fertur Diploma *Arthuri* Regis in favorem Academiæ Cantabrigienſis, ſcriptum anno ab Incarnatione D. XXXI. in Civitate Londinenſi; quo *Scholares & Doctores Cantabrigiæ manentes, à publicis vectigalibus & operibus oneroſis abſolvuuntur*, &c. *Sicut Glorioſus Rex Britanniæ Lucius decrevit, Chriſtianitatem amplectens prædicatione Doctorum Cantabrigiæ.* Imò privilegia fuiſſe Româ per Elvanum & Medwinum miſſa ab Eleutherio, in *confirmationem Generalis ſtudii Acad. Cantabrigienſis*, iidem Scriptores referunt. Alia Privilegia Scholis aliis & Eccleſiis conceſſa mittimus, ut fabula fabulam trahit, de quibus rerum Britannicarum ſcriptores.

*Uſſer.* C. vi. p. 101. *Spelm.* T. 1. p. 34. Ἀρχαιον. *fol.* 130.

Cajus de *Antiq. Cantabrig. Acad.* L, 1. p. 51.

*Uſſer. de* Pri*mord.* p. 131. 513.

V. Jam iſte *Lucius* quâ in Britanniæ parte regnarit, dein ubi à converſione diem clauſerit extremum, non minùs hos inter ſcriptores litigatum eſt. Nos in ſummam contrahimus. Fuêre qui hunc Lucium collocarint ultrà vallum Antonini Pii, extrà Provincias à Romanis ſubjectas, in *Albaniæ* (hodie Scotiæ) partibus; quò referunt illud Tertulliani, *Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto ſubdita.* Et hoc

ipſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

ipſo concidunt ad unum omnia quæ *Britannorum* Annales de hoc Rege, hujus converſione, circumſtantiis variis, & quæ illam exceperunt, memorant. Qui cis Vallum regnaſſe volunt, ſeu in citeriore Inſulæ parte, ut ferè omnes, iterùm abeunt in diverſa. Quidam in ea Britanniæ parte quæ nondum armis Romanorum eſſet ſubdita, ut ſanè non omnem Britanniam unquàm Romani ſubjugarunt. Sed hi fide teſtium diſtituuntur, *Cambriam* licet aut *Walliam* deſignent, ubi Bangoria, Landavia, &c. quæ tum fuerit Romanis inacceſſa. Plurimi igitur in eâ parte quæ Romanis parebat, ut ſæpe Regna ab iis *Aſſignata*, *Data*, *Reſtituta*, &c in Hiſtoriâ, & Nummis, & apud Julium Capitolin. *Lucium Verum Regna Regibus*, *Provincias verò Comitibus ſuis*, *regendas dediſſe*. Ità pridem *Praſutagus*, *Icenorum* in Britanniâ regulus, ubi poſteà *Eaſt-Anglia* ſub Saxonum dominatu, Claudium Imper. hæredem ſcripſerat, ut ſcribit Tacitus; quemadmodùm *Cogiduni* hæredibus in eadem Inſulâ, ubi hodie *Suſſexia*, & qui Ptolemæo dicuntur *Regni*, dignitatem Romani conſervarant. Nec tamen in eâ Britanniæ parte, niſi quâ litoralis eſt, & ubi *Vectis* Inſula, Romani Imp. veſtigia ulla deprehendi feruntur. Uti nec Roman. dominationem agnoſcit *Eleutheri* Epiſt. in Regno Lucii, nec ipſe Lucius, qui petierat ad *ſe transmitti Leges Romanas*, *& Cæſaris*, ut qui ſolius Dei in *Regno Britanniæ*, quod totum tenuerit, *vicarius* eſſet. Quod & Radulphus Dicetus, *de Regibus Brit.* & Chronographi alii, qui *Severum Romæ Imperatorem regnaſſe poſt Lucium*; adeò ut Romani totam penè Inſulam ſub Nerone amiſiſſent. Tamen non deſunt qui ſub Romanis gubernaſſe volunt hunc Lucium,

*Adverſ. Jud.* C. VII.

*Capit. in L. Vero.*

*Ann.* XIV. C. XXXI.

*Rad. Dicet. in Anglic. Hiſt,* p. 555.

 ferè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

ferè ut Herodes & ejus Filii in Judæâ, Antiochus Aſiaticus in Syriâ Comagene, Ariobarzanes in Cappadociâ, & alii. Imò Ditionem aſſignant, & ſucceſſionem etiam; ut qui *Lucius* filius fuerit *Coilli*, nepos *Marii*, pronepos *Arviragi*, (quem quidam eundem faciunt cum *Praſutago* Taciti, nullo documento) referentibus Radulpho Diceto, Galfrido Monumethenſi, &c. Sed & Marcus Velſerus vir ſanè de Republ. literariâ meritiſſimus, eandem Lucii genealogiam exhibet, Hiſt. Auguſtanæ quam edidit Chriſtophorus Arnoldus, idemque nobis dono miſit,

*M. Velſ. Rer. Aug.* L. VI. p. 304.

*Libro* VI. addens, ejus *rei dubium nullum eſſe poſſe.* Hi jam regnaſſe Lucium, & Patrem, Avum, Proavum, in *Britanniâ* ſimpliciter, vel etiam in totâ *Inſulâ*, quod habent ſanè plurimi Britannorum Hiſtorici, qui unam tantum Monarchiam fuiſſe vellent, paulo poſt ſub Severo in Romanos tranſlatam, quem etiam Regem Britannicum faciunt LXXIV. ut Lucium Coilli filium,

*Rad. Dicet.* p. 555. *Hiſt Anglic.* &c. *Jul. Capit. in Anton.* p. 19. *Spartian. in Hadr.*

Regem LXXIII. Sed alii, & recentiores ferè, ex Hiſtoriâ edocti, puta J. Cæſare, Diodoro, Strabone, Suetonio, Tacito, Dione Caſſio &c. Britannos non uni Capiti vel Regi paruiſſe; adhæc ſub Hadriano, & Antonino Pio, magnam Britanniæ partem Romanis Provinciis acceſſiſſe, & interjecto Vallo vel Muro ceſpititio ab indomitis Britannis diviſam fuiſſe; rem aliter expediendam cenſuerunt. Nempè illi Regi Britannico locum fuiſſe in *Provinciâ* Romanâ, pari quâ alibi lege *Reges* alii facti tributarii, & Majeſtatem Rom. Imperii reveriti. Hinc fuiſſe *Lucium* amicum Romanorum, eumque, benevolentiâ Marci

*J. Capitol. in M. Anton. pag.* 25.

Aurelii Antonini, poſt pacatas Provincias virtute Calphurnii Agricolæ, qui adverſus Britannos miſſus fuerat, Regnum poſt patrem obtinuiſſe. At regnaſſe tantùm in aliquâ Inſulæ parte, prudentiores in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

intelligunt; non commiſſuris Romanis Regi indigenæ, in Gente impatiente Romani jugi inde ab Hadriano, & ad rebellandum nata, ac toto Mari à ſe diviſæ, abſolutum in eam Imperium. Hinc alii, imperitaſſe Lucium in eâ parte quæ *Praſutago* Regi, ſecundum Tacitum, paruerat, ubi *Jceni*, qui poſteà *Eaſt-Angli* ſub Saxonibus, incolentes eam regionem quæ hodie Norfolcia, Suffolcia, quibuſdam & in eâ Cantabrigia. Alii, in Occiduâ Inſulæ parte eundem veriùs regnaſſe, ubi *Belgæ* & *Dobuni*, hodie Somerſettia, Wiltonia, Gloceſtria, &c. & quæ dicta *Avalonia*, aliàs *Glaſtonia*, quæ *mater Sanctorum*, *prima Dei terra*, &c. majoribus appellata, in memoriam converſionis Lucii. Alii denique in Meridionali Britanniâ, ubi Cantii, Regni, hodie Cantium, Suſſexia, Suthrey vel Surrey; Romanis tenentibus litora, ut *Portum Ardurni*, *Anderida* &c. & totius regni Metropolim Londinium; & ſic tutis ſatis adverſus Britanni Regis, quem in fidem accepiſſent, quaſcunque molitiones. Et eò propendere videtur Reverendiſſ. Stillingfleetius in Origin. Britannicis.

*Tac. Ann. XIV.*

*Orig. Eccl. Brit. C. II. p. 46.*

VI. Imò de hoc *Lucio*, ejuſque noviſſimis, varia rurſum & pugnantia tradiderunt. Quidam defunctum in Regiâ dignitate, ſed obſcurum quando, aut quo in loco, undè *non comparuiſſe* Regem Lucium, Joh. Fordonus in Scoti-Chronico. Unus fere habet Galfridus Monumethentis, eum abſque Hæredibus diem obiiſſe *Gloceſtriæ*, ſive ut alii, *Claudioceſtriæ*, in Dobunorum regione. Saltem, poſt Lucium fatentur Annales ſucceſſiſſe illi Britannici ſanguinis neminem; ademptâ Britannis *publico & perpetuo Romanorum decreto*, *Regia dignitate*, ut Balæus in Centuriis. Quod de extremis Lucii ſilentium,

*Scoti-Chron. L. II. C. XXXI.*

*Lib. II. C. 2.*

*Bal. Cent. I. C. XXX.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

tium, eo mirum magis videatur, quod Eccleſiam exinde Britannicam altà pace fruitam eſſe tradunt, & inter eos Beda Anglò-Saxo, ad perſecutiorum uſ-

Beda Hiſt. L. I.

que Diocletiani. Sed alia jam de Lucio ejuſque noviſſimis, ex aliis audienda ſunt. Nempè ferunt hunc Regem, (ità Pantaleon de Vir. Illuſtribus Germ.) *ſibi pro-*

Pantal. de Viris Illutr. p. 116. ad A. 175.

*poſuiſſe plures homines in errore perſeverantes Chriſto lucrifacere;* Hinc *Rhenum aſcendiſſe, ubique Euanlium predicando; demum in Boiariam perveniſſe; petiiſſe* dein *Auguſtam Vindelicorum celebrem Urbem; hinc ad Rhætos profectum, ubi ad Rhætorum Curiam pervenit*, ejus tractûs Metropolim. Tandem, *S. Lucium ab ejus regiònis Præfecto ex ſuâ ſpeluncâ ad arcem Martiolam perductum, atque deinde Curiæ Martyrio affectum fuiſſe.* Quod de Lucio in Rhætiâ Epiſcopo, & martyre, nempè à Paganis lapidato, in Urbe Curiæ, habet Martyrologium Rom. ad III. *Decemb.* dein Nauclerus, Munſterus, alii; & præcipuè Marcus Velſerus, in Hiſtoriâ Auguſta-

Velſ. Rer. Aug. Vind L. VI. p. 304.

nâ, *Libro* VI. *Quod Britannici ſcriptores eum in patriâ ſine liberis deceſſiſſe affirmant, neque cum Annalibus privatis noſtris, neque cum Tabulis Eccleſiæ Curienſis, quæ nonnullis publici juris Auctoribus juvantur, convenit. His quippè relatum, Lucium relicto Regno, cujuſmodi exempla priſca ætas plura tulit, magna terrarum ſpatia obiviſſe, ut pietatem quâ ipſe imbutus, alios doceret. Eâ occaſione in Rhætiam, & Auguſtam veniſſe, ubi cum de Religione ſermones ſerenti fidem multi adhiberent, inter quos Campeſtrii Viri Primarii nomen hodieque celebratur, cives reliquos odio Chriſtiani nominis adactos, hominem hoſpitem primò convitiis inceſſiſſe, lapidum dein jactu petiſſe, in puteum demum male mulctatum*

*detur-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

*deturbaſſe, undè priorum auxilio ægrè ſemianimis extractus, in Alpinam Rhætiam cenceſſerit, ibique demum occubuiſſe.* Hæc Vir ille, minimè aliàs obeſæ naris; qui dein *Lucium* hunc Rhætum *diverſum eſſe à Britannico*, puta aut Cyreneníem de quo in Actis, aut illum de quo Paulus in Epiſt. ad Romanos, ſtrenuè negat, partim ex intercapedine temporis quæ interjacet, partim ex defectu gravioris antiquioriſque teſtis. *Actor.* XIII. I. *Rom.* XVI. 21.

VII. Poſtquam compendio, quantum licuit, hiſtoriam hujus *Lucii*, Britannorum Regis, ad Chriſtum cum Gente ſuâ converſi, & omnium pene Britannorum, ac Doctiſſimorum etiam, calculo firmatam, aperuimus, ἐπίκρισιν noſtram ſubjungere haud operoſum fuerit. Nempè, quicquid eſſe potuerit in illuſtribus Britannis aliquis, *Lucii* nomine, (quod ſanè Romanum nomen eſt, aut agnomen ſaltem) qui Chriſtianam fidem amplexus ſit, & inter ſuos propagare ſtuduerit; at nullum certè iſtiuſmodi *Regem* vel *Britannis* tum imperaſſe, vel hoc modò fuiſſe converſum, ſive ab *Eleutherio*, ſive alterius Rom. Epiſcopi miniſterio, cum additis omnibus iiſque pugnantibus circumſtantiis, contendimus. 1. In *tempore* deſignando, non annorum aliquot diſcrimine inter ſe diſſociantur, quod accidere facillimè potuit ex diſcrepantia circà Annos Chriſti, Imperator. Pontificum; ſed toto cœlo à ſe invicem abeunt, ab anno Ch. *centeſimo*, aut circiter, ad *ducenteſimum*; ut prolixè ex dictis conſtat. *Uſſer.* p 34. Nam alii factum vivo adhuc *Timotheo*, alii *Hadriano* imperante, alii *Antonino* Pio, alii & plures *M. Aurelio* Philoſopho, alii *Commodo*, alii etiam *Severo* Imperium Rom. adminiſtrante. 2. Nec minor pugna in *motivis* Converſionis, & in *occa-*

 *ſione*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

*ſione* illius fingendâ, his hanc, illis aliam cauſam hariolatis, præter teſtium idoneorum fidem, ne ipſo Baronio excepto; ut pluribus videre eſt totâ *Theſi* III. Et quantum ad *miraculum* pluviæ Chriſtianorum precibus impetratæ, hinc Edictum M. Aurelii in favorem Chriſtianorum, eſt rem planè incertam & obſcuram, qualis *Lucii R.* converſio, probare per aliam dubiis circumſtantiis implicitam, & quam poſteriorem eſſe Baptiſmo Lucii, collatione Annorum factâ, tradunt Beda, Ado, Galfridus Malmesb. Marianus Scotus, Ninnius, Florent. Wigornienſis, Annales Eccleſiæ Wintonienſis, Glaſtonienſis, Landavenſis &c. 3. Pugna eadem, ſi non major, circâ *modum* converſionis, Inſtrumenta, Pontifices, Legatos, eorundem Nomina &c. ut ex Theſi IV. intelligitur. Quin *Fugani* & *Deruiani* Legatorum Pontificis, nulla mentio apud Bedam, Adonem, Monaſticum vetus Anglican. Johannem Lelandum de Scriptoribus Angliæ ſub Henrico VIII. Chronicon Saxonicum vetus, Annales plures, quos ſecutus Ioh. Capgravius, & alii. Nempè Seculo XII. *Wilh. Malmesbunenſis*, *Galfridris Monumeth.* Archidiaconus, deîn *Matth. Weſtmonaſterienſ.* hos produxerunt ex mendaciſſimis Monachorum tabulis, nec negarunt nuper Celebres Anglorum Antiquarii. 4. *Eleutherii* Literas ad Lucium Regem, ex Synchroniſmo, Stylo, Argumento (quod non reſpondet Lucii poſtulato, & quod Romanorum nullam in Britanniâ dominationem fuiſſe ſupponit) aliiſque certiſſimis indiciis, ſuppoſititias eſſe luculenter demonſtravit, *Henr.* Spelmannus, Animadverſionibus ad hanc Epiſtolam, & aſſentiuntur Uſſerius, Stillingflietius &c. Imò non extitiſſe uſquam Gentium Epiſtolam, *infrâ mille*

*Spelm. Conc. Brit.* p. 34. 35. 36.

*annos*

*annos poſt exceſſum Eleutherii*, idem Spelmannus docet. Ejuſdem farinæ eſt, *Confirmatio*, & *Privilegia Academiæ Cantabr. Generalis ſtudii*; miſſa ab eodem Eleutherio; apud Cajum de Antiq. Cantabrigienſis Acad. Quanquam *Camboricum* jam tum eſſe potuiſſe in Britanniis Romannorum Coloniam, facile damus, ſed obſcuram præ *Camuloduno*, & *Eboraco* in Brigantibus, dein civitate *Legionum* in Britanniâ Secunda &c. aliiſque. 5. Sic *Arthuri* Regis privilegium, conceſſum eidem Scholæ Cantabrigienſi, Anno (ut ferunt) DXXXI. & in eo memorata Lucii converſio *prædicatione Doctorum Cantabrigiæ*, ſe ſuopte indicio prodit, nec ab Oxonienſibus tantùm, ſed & ab Uſſerio Armachano, Henrico Spelmanno, & emunctioris naris Criticis, ſuppoſitionis arguitur. Et pridem Doctioribus Britannis obſervatum eſt, *Chartas* in Angliâ primum ſcribi cœpiſſe ſub finem ſeculi VII. primamque omnium eſſe, quam *Whitredus* Rex Cantuarienſi Eccleſiæ conceſſit Anno DCXCIV. Ut *quæcunque ætatem ſnperiorem præ ſe ferunt, certiſſimè ſint commentitiæ*, obſervante Cl. Whartono. Ità non illa tantùm Arthuri Regis, ſed & *Bullam* quæ adſcribitur Honorio I. Pontifici, Anno DCXXIV. & in quâ dicitur Eleutherius privilegia Cantabrigienſibus conceſſiſſe, *figmentum* dixit Uſſerius Armachanus. 6. Ejuſdem ſunt commatis, quæcunque memorantur de inſtitutis ſive ad Lucio, ſive ab Eleutherio, per Angliam omnem Epiſcopatibus XXV. & Archiepiſcopatibus III. qui ſucceſſerint in locum *Flaminum* & *Archiflaminum*. Quæ *Flaminia* vel *Sacerdotia*, fuiſſe utriuſque Sexus apud Romanos, nec *Flamines* tantùm extitiſſe, ſed & *Flaminas* vel *Flaminicas*, ex Inſcriptionibus antiquis, liquet. Verum

*Lib.* 4. p. 51.

*Uſſer. Ant.* p. 50. 531. *Stillingf. Orig. Brit.* C. 11. p. 69.

*Whart. Præf. ad* II. *T. Angliæ Sacr.*

*Antiq. Brit.* 131. 1158.

*Druy-*

*Druydas* apud Britannos, hinc Gallos, rei divinæ ac ſacræ præfuiſſe ex Hiſtoriâ conſtat; qui plures in unâ Civitate, quicunque inter ipſos ordo fuerit. Et commenta hæc de Britanniæ Flaminibus & Archiflaminibus, uſque ad Lucium Regem, figmentis Monachorum, & narratis Galfridi Monumeth. Mart. Poloni, Hiſtoriæ Roffenſis, Rad. de Diceto, & id genus aliis, qui commenta commentis cumulant, conſentiunt Doctiores Antiquarii, & ipſe quoque Eduardus Wigornienſis, de Originibus Britannicis. Imò nihil de Flaminibus, Archiflaminibus, Matth. Pariſius, Matth. Weſtmonaſtirienſis, alii, quorum iſte productus ab Henr. Spelmanno, in traditis de Eleutherio, A. CLXXXVII. Et nota Epiſcopatuum Britanniæ origo alia, dein Archiepiſcopatuum, quàm ab hac Inſtitutione Eleutherii, vel Lucii. 7. Imò ſic ſupponitur, *Lucium* toti *Britanniæ* imperitaſſe; Hinc Regnum univerſum jam tum diſtributum in XXV. Epiſcopatus, præter III. Metropolitanos; adhæc territoria, poſſeſſiones, privilegia ampliſſima, toto Regno Eccleſiaſticis conceſſa. Quorum illud omnibus Hiſtoricis repugnat, qui res Romanas & Britannicas eorum temporum tradiderunt, ac Hiſtoriæ nominatim Hadriani, Antoninorum, Severi Impp. Et quidem adſcribuntur hæc omnia (præter converſionem Regis ac Gentis totius, & deletionem Paganiſmi) duobus *religioſis viris*, Fagano & Derviano, aut quocunque illi nomine fuerint, qui hæc ſingula, auctoritate Romani Pontificis Eleutherii, toto Regno peregerint.

*De Antiq. Brit.* L. IV. p. 57. *Still. de Orig. Br.* p. 96.

VIII. Adde ſilentium de hoc Lucio, ejuſque converſione, & Gentis Britannicæ, vetuſtiorum *Bedâ* ſcriptorum, qui ſane rem adeò memorabilem preſſuri



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

ri neutiquam fuiſſent. Nihil de eâ *Irenæus*, qui horum temporum & coævus Eleutherio, memorans Eccleſias jam tum in Orbe Europæo fundatas in *Germania*, in *Hiberiis*, in *Celtis*, præter alias in Oriente, Ægypto, Libyâ, & quæ in *medio Mundo* eſſent conſtitutæ. At nullus meminit Eccleſiarum in Britannia, nec Lucii Regis; facturus imprimis mentionem, ut quæ in Orbe extremo, & quæ eandem cum Romanâ Eccleſiâ fidem amplexæ fuiſſent, quod fecit ad Irenæi illo loco inſtitutum. Sic de Lucio Rege, & Gente totâ Britannorum ad fidem perducta, nihil *Tertullianus*; quamvis *Galliarum diverſas Nationes*, & *Britannorum inacceſſa Romanis loca*, *Chriſto ſubdita* fuiſſe ſcripſerit. Quibus indubiè innuit ea Britanniæ loca quæ Romanorum jugum nondum ſubierant, qualia etiam fuêre ſub Severo, qui aliàs *Britannici* cognomen accepit, & Barbaros inibi rebellantes ex parte domuit, ex parte coërcuit. Sic, ut alios Hiſtoricos prætercam, qui de hoc Lucio nihil, aut converſâ ſub eo Gente, (ut Euſebium, Hieronymum, Sulp. Severum, Theodoretum, Proſperum Aquit Oroſium, Caſſiodorum &c.) fuit inter Britannos ſcriptores *Gildas* Albanius, vulgò *ſapiens*, ſeculi ſexti ſcriptor, qui Britanniæ *Hiſtoriam*, ac *Epiſtolam* ſuorum increpatoriam, etiam *de Britanniæ Excidio* ſcripſit, citatus Bedæ: Qui quum horum temporum meminerit, nihil ille de Lucio, cæterisque monachalibus figmentis; ſed hoc tantum: Quæ *religio*, (ſub Tiberio jam propagari coepta) *apud* quosdam *tamen integrè ſuſcepta* fuit, in Britanniâ ſcilicet, *& alios minùs*, *usque ad perſecutionem Diocletiani novennem*. Sic nihil in Epiſtolâ, quam cum Hiſtoriâ emaculatiorem edidit Thomas Gale, vir Clariſſimus. Ita in Chronico Saxonico, quod nuper Latinitate donatum eſt ab Edmun-

*Beda* Lib 1. C. XXII.

 do

do Gibſon Oxonienſi, & quod dicit *auguſtiſſimum Antiquitatis monumentum, quale fruſtrà apud Gentes vicinas quæſiveris, ſcriptum Sec.* XII. notatur ſanè, *Anno* CXLV. M. *Antoninum, & Aurelium fratrem regno potitos eſſe*; dein A. CLXXXIX. *Severum ſuſcepiſſe Imperium, & profectum cum Exercitu in Britanniam, magnam hujus Inſulæ partem pugnâ ſubegiſſe*; tum vallo ducto, *Eboraci diem obiiſſe ſupremum.* Atquæ de *Lucio* ſubjiciuntur, patet huic Chronico alienâ manu inſerta eſſe; nam factâ mentione mortis Severi, & ſucceſſionis Caracallæ, quæ accidit A. CCXI. tum & mentione præviâ mortis Getæ, immediatè ſubdit; *Hoc anno Eleutherius Romæ ſuſcepit Epiſcopatum, quem* XV. *annorum ſpatio glorioſè tenuit. Ad eum Lucius Britannorum Rex litteras mittebat* &c. Nam ſi voluit annum quo Severus profectus in Britannias, falſum, *Eleutherium* tum ſuſcepiſſe Rom. Epiſcopatum; qui jam deceſſerat Victori Anno CLXXXIV. Dein alio ſanè loco debuit ſcripſiſſe, *Hoc anno Eleutherius* &c. qui jam antè dixerat, Severum *diem obiiſſe Eboraci.* Pellucet fraus Monachorum, circà Antiquitatis monumenta, & queſti pridem Uſſerius, Spelmannus, Seldenns, Stillingfleetius, alii.

IX. Cumprimis in tradendis primordiis Eccleſiæ Britannicæ, mirum dictu eſt quot compoſitis mendaciis, & conſutis fabellis, poſt ſubmiſſos Româ Monachos, & fundatas dotatasque Cathedrales Eccleſias, Collegia, Cæmeteria, Monaſteria, cum ampliſſimis privilegiis, à VII. VIII. & ſequentibus ſeculis, impoſuerit fraudulentum hominum genus credulæ ac ſuperſtitioſæ poſteritati. Non ſanè revocamus in dubium, quin primis ſeculis illata ſit lux Evangelii in Britannorum Inſulam, ἐπὶ τὰς καλεμένας Βρεττανικὰς νήσους,

τȣς, ut expreſſus nimis eſt, præter Tertullianum, etiam Euſebius in Libris de Demonſt. Evangelicâ; Et Theodoretus Sermone περὶ νόμων, ubi leges Evangelicas, per τȣ̀ς ἡμετέρȣς ἁλιεῖς, καὶ τȣ̀ς τελῶνας, quaquaverſum illatas, recepiſſe etiam dicit τȣ̀ς Βρεττανȣ̀ς, καὶ Κίμβρȣς, &c. At verò ſacram eam prædicationem v. gr. per *Petrum Apoſtolum*, *Jacobum Zebedæi*, *Joſephum Arimathiæ*, *Ariſtobulum* de quo in Epiſt. ad Romanos, *Philippum* Apoſt. & XII. *Diſcipulos* ab eo Britanniam miſſos, ne dicam *Barnabam*, *Pudentem*, *Claudiam Britannam* ejus conjugem, aliosque, de quibus Menologium, Metaphraſtes, Monachorum Chronica, Annales, Antiquitates &c. debemus poſterioris ac Monachalis ævi commentis. Ac conſentiunt ferè doctiores hodiè Britanni, qui in Britannicas origines diligentius inquiſiverunt, Uſſerius, Spelmannus, ac cæteri ante laudati: Cumprimis impoſuerunt *Glaſtonienſes* Antiquitates (*Glaſſenbury* in Somerſetiâ,) etiam *æri* inſculptæ, à quibus illa traditio de adventu Joſephi Aramatheæ, & Sociorum in Britanniam, A. Chr. LXIII. prolixè ea referente *Guil. Malmesburienſi Sec.* XII. qui aliàs *Guil. Monachus*, hinc *Joh. Capgravio*, in Vitâ ejuſdem Joſephi, à quibus ferè ea traditio notiſſimis ſcriptis. Sic quæcunque de Lucii Majoribus, puta Rege *Arvirago*, *Mario*, *Coillo*, qui fuerit pater Lucii, tradiderunt Galfridus Monumeth. Matth. Weſtmonaſterienſis, Radulphus Diccetus &c. (tacente tamen nonnihil anteriore Guilielmo Malmesb.) explodit ea noviſſimè quoque Wigornienſis Epiſc. in Originibus ſuis Britannicis, ut alios ſileam. Cui tamen commento de *Arvirago* occaſionem dedit, ille cujus meminit Juvenalis tempore Domitiani,

*Euſeb. Α᾽ποδ. Εʹυαγ. L. III C. VII. Theod. Tomo IV. Serm. IX. p. 610. Rom. XVI. 10*

*Uſſer. Antiq. C. I. II.*

*Stilling. Orig. Brit. C. I. p. 30. &c.*

*Juv. Sat. VI.*

> *Regem aliquem capies, aut de temone Britanno*
> *Excidet Arviragus.*

C 2 Et

Et hunc rurſùs voluêre eundem eſſe cum *Praſutago* Rege Icenorum, vel cum *Caractaco* Rege Silurum in Cambris, Marium filium eundem cum *Cogiduno*, de quibus Tacitus Annalium *Lib.* XII. & XIV. Quæ ſolidè confutat magnus Stillingfleetius, Loco citato.

X. Hujusmodi fuêre Monachorum commenta, de
42 Converſione *Dunaldi* I. Scotorum Regis, cum totâ Gente, Anno CCIII. haud diu à tempore quod tribuitur Lucio, & quam referunt Joh. Fordonus, Joh. Major, Thomas Demſterus, alii Hiſtorici Scoto-Britanni; Imò quem vulgari diſticho expreſſerunt,

*Chriſti tranſactis tribus annis atque ducentis,*
*Scotia Catholicam cœpit habere fidem.*

Quæ ut præter hiſtoriæ fidem conficta, à doctioribus
*Orig. Brit, p. 51.* reprobantur, & noviſſimè ab Edw. Stellingfleetio, viro ſummè Reverendo. Ità fallax nimis rei documentùm ſunt, qui producuntur Nummi, tum à *Scotis* pro Dunaldo, Rege Chriſtiano, & nummus Hectoris Boëtii, in quo Regis *Caput* ab una parte, & *Crucis* imago ab alterâ; tùm ab *Anglis*, pro Lucio Rege, ſcil. argenteus unus, aureus alter, de quibus
*Antiq. Brit. p. 40.* Uſſerius Armach. & in quibus *Crucis* Imago, & literæ obſcuriores quæ efficerent *LUC.* Et quidem nullâ in iſtis mentione aut imagine, vel Marci Aurelii Antonini, vel Commodi Britann. Auguſtorum, à quibus teneret principatum Lucius, & quorum reveritus fuiſſet majeſtatem, Britanniâ in Provinciæ formam jam tum redactâ. Quod factum aliàs frequentibus Nummis fuit, in quibus ab unâ parte Imperatoris Imago, vel Nomen, in alterâ Icon Regis in Regnum reſtituti, vel cæteroquin tributarii, in fidem & clienteliam recepti. Sic Nummus *Herodis Tetrachæ*, cum Capite *Caligulæ*, & inſcript. Γαιῳ Καισ. Γερμ. Σεβ. Num. *Hero-*

*dis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

*dis* βασιλέως, Chalcidis nempè, cum mentione *Claudii Cæſ.* & epitheto φιλοκλαυδιος. Sic Num. *Agrippæ* junioris, cum Imagine *Veſpaſiani*, *Titi*, *Domitiani*, videndi apud Triſtanum, Patinum, Seguinum, Fratrem meum, Rigord Patricium Maſſil. Sic *Polemonis* Regis Ponti Nummus, apud Vaillantium, qui reſtitutus in regnum A. Ch. XXXVII. â Caligula, ſub Nerone fabricari Nummum juſſit, cum Inſcr. βασιλεως Πολεμωνος & in poſticâ, cum *Capite Neronis laureato.* Sic *Abgarorum* Num. Αβγαρος βασιλ. cum Imagine *M. Aurel. Severi*, *Anton.* Caracallæ, *Gordiani Pii*, à quibus avitum Abgaror. regnum reſtitutum fuit, *Edeſſâ* tamen exceptâ, quæ ſub Caracallâ Colonia Romanorum facta, ut ex inſcriptione Nummi antiqui, Μαρ. Αυρ. Αντωνιν. Εδεσσα. Ita Nummi βασιλεως Ροιμηταλκυ, ſeu Rhœmetalcis Thraciæ Regis, cum Capite *Auguſti*, & inſcr. Καίσαρος Σεβάςυ, apud Seguinum in Numiſmat. & Patin. Ac plura id genus mittimus. Nec obſtare debuit ſymbolum *Crucis*, prout in Nummis iſtis addita varia ſymbola, quandoque anni Regum, honore tamen Imperantibus habito. Igitur poſterioris ævi hi Nummi, Monachorum operâ in rei fidem fabricati, ſiquidem Lucium regem expreſſerint: Adde hos Nummos à Doctis, & Rei antiquariæ ac genuinæ ſtudioſis, ignorari. Tandem paris credenda certitudinis, quæcunque illi de *regno Lucii*, ſuprà Theſi V. Quorum alii poſſediſſe Britanniam eum totam, alto de Romanis ſilentio, & ſic vetuſtiores; alii partem tantùm Britanniæ: Et hi in *Occidua* parte, ubi Glaſtonia, Gloceſtria; illi in *Orientali* ubi Eaſt.-Anglia, ſive Norfolcia, Suffolcia; alii denique in *Auſtrali* Angliâ, ubi Cantium, Southſexia, &c. Et hi jam amicum fuiſſe Cæſaris Romani, in

*Seg. Num. Sel. p.* 40. *Pat.* p. 38.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

hujus fide & clientelâ, (dum tenerent litorales arces Romani, & Urbem Metropolem, hactenus illi à Britanno Principe tuti) dici ſanè poteſt, ſed nullo in genuinâ Antiquitate idoneo teſte. Et hæc omnia ex hypotheſi, fuiſſe tùm iſtiusmodi Lucium, quum imperaret M. Aurel. Antoninus; undè inferunt veriſimiliter, in hac Inſulæ parte regnaſſe potiùs quàm in aliâ.

XI. Jam hunc ipſum *Lucium*, in Britannis regem, fruiturum altâ pace ſub M. Aurelio & Commodo, in conſtruendis Eccleſiis, Epiſcopatibus inſtituendis, Scholis fundandis, & propagandâ in ampliſſimo regno Chriſtianâ religione, fuiſſe deinceps totum, Chronica Monachorum prolixè referunt. Vulgò XXV. Epiſcopatus, & tres Metropoliticas ſedes, recenſent, ab eo inſtitutas, quarum *Legionenſis* totius Cambriæ ſeu Walliæ primatum habuerit; Giraldus verò, LX. Epiſcopatus ac V Archiepiſcopatus, ſub Lucio rege, auctoritate Eleutherii, conſtitutos refert. Sed verò perſonalia hujus Lucii, Conjugium, Liberos, Ætatem, ubi & quomodò diem objerit extremum, quanquam Galfridus *Glioceſtriæ* accidiſſe notat, id genus alia, nulli memorant. Hinc fabula altera, eundem Lucium, flagrantem amore Chriſti, & zelo propagandæ religionis, Regno Britannico derelicto, & priore habitu poſito, Sceptrum cum Paſtorali pedo commutaſſe; Regno exceſſiſſe; Rhenum aſcendiſſe; tandemque ad Boiaros, Vindelicios, Rhætos perveniſſe, & in poſtremis *Curiæ* (Chur) hæſiſſe, illius Eccleſiæ Antiſtitem, mox Martyrem. Rei Auctores ſuprà vidimus *Theſi* VI. Quaſi verò non propiùs hunc Regem attingerent, converſio Britannorum Brigantum, aliorumque

*Uſſer Antiq. p. 87. 92.*

que

que Idololatr. ità Romanorum qui eò colonias deduxerant, ſic Pictorum, Mæatarum, Damniorum, Caledoniæ gentis; cumprimis & Scotorum ſive Hibernorum, & adiacentium Inſularum, quibus convertendis Palladius, Patricius, inſignem operam navaſſe perhibentur! Quaſi etiam non ſat fuerint quæ ibi curaret Lucius, ad fidem cùm in Regno ſuo firmandam, tùm ad tot Barbaras & indomitas Gentes, eaſque in proximo ſitas, propagandam. Hinc alii duos *Lucios* fuiſſe ſuſpicati, Britannum & Rhætum; alii ex Rhæto, natum alterum in Britannis; & *Lucii* illi, de quibus Scriptura S. in ſubſidium vocati. Sed notæ impoſturæ Monachorum, gentis in Hiſtoriæ, Chronologiæ, Literarum, ac Chriſtianæ Religionis perniciem natæ, quorum in ſcriptis *Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ*. Cæterùm ſuperiora neutiquam in præjudicium vel Antiquitatis, vel Hierarchiæ Anglicanæ, dicta velim; ac *veniam pro laude peto* ſi quid fortè imprudenti exciderit, diſcreturo pretioſum à vili.

XII. *Juliam Mamæam* Auguſtam, quæ in Nummis Græcis modò Μαμαεα, modò Μαμεα exprimitur, alias Μαμαία, ut apud Euſebium & alios, (Μαμμαία in Chronico Alex. ماما *Mama* apud Eutychium Patriarch.) matrem Alexandri Severi, *Chriſtianam* plerique Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, & Chronographi, ſtatuiſſe videntur. Producuntur ut ab aliis, ſic à Cl. Wetſtenio *Præfat.* in Origenis quædam (quæ primus è Codd. MSS. Græcè edidit) v. gr. in *Græcis*, Euſebius Cæſar. G. Syncellus, Suidas ut voce Ὠριγένης, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Nicephorus Calliſti; in *Latinis* verò, Hieronymus, Oroſius, Beda, Freculphus, Ado Viennenſis, Marianus Scotus,

tus, Urſpergenſis Abbas, Otto Friſing. Hermannus Contractus; &c. in *Arabibus* Georg. Abulfaraius Dynaſtiâ VII. Hub. Goltzius, in Iconem M. Aur. Alex. *Mater ejus Mammæa Antiochiam profecta eſt, ubi ab Origene in S. S. Chriſtianæ fidei religione probè inſtructa, Chriſtiana effecta eſt.* Iſacus Caſaubonus Notis ad Lamprid. *Chriſti notitiam habuit* (Alexander) *per matrem; quam Chriſtianæ religionis myſteriis initiatam, & ab Origene conſtat informatam.* In eandem diſertè ſententiam P. Halloixus Jeſuita, *in Orig.* ac nuper D. Tillemontius Gallus in Hiſtoriâ Imperatorum; *Ab eo tempore* (quo Mamæa Origenem accerſivit) *potuit fuiſſe Chriſtiana, ſive manſerit in ſtatu Catechumenorum, Conſtantini exemplo, ſive particeps Myſteriorum facta.* Sed pace magnorum Virorum, *Mamæam* neque Chriſtianam dici à vetuſtioribus Hiſtoricis, neque illi quicquam tribui quòd Chriſtianiſmum, quod ſpiritum Chriſti, quod veram fidem, charitatem, zelum promovendi regnum Servatoris, conſtantiam denique ac perſeverantiam in fide, ſapiant, omninò contendimus.

*In Alex. Sev. p. 60.*
*In Ælium Lampr. p. 165.*
*In Orig. Lib. 1. C. XIII.*
*In Alex, Sev. Art. 1. T. III.*

XIII. Primus omnium *Euſebius* eſt, qui memorans Philetum in Antiochenum Epiſcopatum ſucceſſiſſe ſub imperio Alexandri Severi, quo tempore Mamæa Antiochiæ διατρίβουσα, hæc refert: Nempè Principem fœminam, famâ Origeniani nominis excitam, & cupidam cognoſcere experimento aliquo quæ in eo Viro eſſet ſcientia rerum divinarum, (πεῖραν λαβεῖν τῆς περὶ τὰ θεῖα συνέσεως αὐτοῦ) quam omnes de illo prædicabant, accerſiviſſe Origenem militari ſatellitio, ſive Alexandriâ ubi revocatus à Demetrio fuerat, ſive ut alii à Cæſarienſi ſeceſſu. Nec addit quidquam aliud, quàm Origenem commoratum aliquamdiu Antiochiæ, poſtquam multa diſſeruiſſet quæ facerent

B 43

ent *ad Domini* (Dei & Chriſti) *gloriam*, & *Divinæ doctrinæ virtutem* ac præſtantiam, ad priorem ſedem rediiſſe. Non dicit Euſebius, vel imbutam fuiſſe Mamæam fide Chriſtianâ, vel in eadem confirmatam, aut fidem eam amplexam fuiſſe, perſuaſam ab Origene: Minùs Catechumenam exindè habitam, aut poſteà Chriſtiano ritu Baptiſmo tinctam, vel initiatam S. S. Myſteriis, au Fidelium cœtibus eandem interfuiſſe. Ità nuſquam deinceps aut cum Origene literas commutaſſe, aut cum Epiſcopo Antiocheno, vel Chriſtianis Antiſtitibus, conſueviſſe. Horum nihil Hiſtoric. quamvis ſane referre fuiſſet operæ pretium. Et optimus certè interpres Hieronymus, *Catalogo* in Origene, qui pariter adducitur ut teſtis converſionis Mamææ Aug. *Ad Mamæam matrem Alexandri Imperatoris, religioſam Fœminam, rogatus venit Antiochiam, & ſummo honore habitus eſt.* Dicit *religioſam* fœminam, redditurus verba Euſebii, cui eſt γυνὴ θεοσεβεστάτη εἰ καί τις ἄλλη γεγονῦια, καὶ ευλαβὴς τὸν τρόπον. Familiare hoc Auguſtorum & Auguſtarum epitheton, ut Εὐσεβεῖς, *Pii* & *Piæ*, dicerentur, & ſic ſolitæ in Inſcript. & Nummis; ut Fauſtina, Julia Domna, Otacilia, quæ etiam à *Pietate* cognomen ſortitæ. Nec obſtat Euſebium Chriſtianum & Epiſcopum, vix θεοσεβεστάτην dicturum Fœminam Gentilium ſacris addictam. Uſum vocis reſpexit, ac illi θεοσεβὴς quæ μάλιστα εὐλαβὴς τὸν τρόπον. Zonaras reddens verba Euſebii, Μαμαία ἀρετῆς ἦν ἀντιποιουμένη, καὶ βίου σεμνοῦ, *virtutis honeſtæque vitæ ſtudioſa fuit*: Unde Origenis famâ permota accerſiverit *Originem*, à cujus auditione demùm θεοσεβεστάτη γέγονεν, ſc. ad cultum *Veri Dei* & ſanctum vitæ genus tranſlata, ut ſupponit jam Zonaras; & quidem, ὡς Εὐσέβιος ἱστορεῖ, *ut Euſebius memoriæ prodidit*. Adeò omnis ea traditio ex uno Euſebio, quum

*C. Script. Eccl.* T. 1. p. 285.

*Annal. L.* 12. C. xv. p. 620. *Ed. R.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

tamen dixiſſet ille θεοσεβεστάτην (talem certè habitam) καὶ εὐλαβῆ μάλιστα, jam antè accerſitum auditumque Origenem. Quo magis Mamæa Syra gente, & educatione, in unius Dei propendebat devotionem, ut de ejus familiâ Lampridius. Ità Plato, in Cratylo, pro ſynonymis accipit, ἄνδρα ἀγαθὸν, εὐσεβῆ, & θεοσεβῆ. Et in ſacris, Cornelius adhuc Gentilis & & Noachida, vocatur Εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν. Sic dicuntur σεβόμενοι (vel θεοσεβεῖς) προσήλυτοι, σεβόμενοι ἕλληνες, *religioſi* vel *Deum colentes Proſelyti*, (Portæ ſcilicet) & *Gentiles*. Ità Joſephus *Antiq. Lib.* xx. Poppæam Neronis conjugem, proſtitutæ pudicitiæ fœminam, quod pro Judæis deprecata fuiſſet, dicit, θεοσεβὴς γὰρ ἦν *pia enim erat*. Et *religioſam* dixit Mamæam Hieronymus, ſenſu eodem, id eſt, σεβομένην καὶ εὐσχημόνα, vel ut ſæpè apud Latinos, caſtam, probam, officioſam, integram moribus; aliis etiam *ſapientiſſimam*, *prudentiſſimamque* fœminam. Feſtus, *religioſi* ſunt, *qui facienda & vitanda diſcernunt*. Eo verò magis ſic nuncupavit Mamæam Euſebius, quod de rebus divinis & Chriſtianis piâ curioſitate inquiſiviſſet, & virum Dei, qualis Origenes, cum honore excepiſſet, atque dimiſiſſet, forſan pietatis aculeis in ejus animo relictis, non tamen producturis τὴν κατὰ Θεὸν λύπην, aut μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν. Unde ergà Chriſtianos, æque ac Alexander filius, non malè affecta fuit, quod urget Zonaras, & *perſecutionem eo tempore conquieviſſe*. Equidem non ad Mamæam Aug. dediſſe poſteà literas Origenem, ut feciſſet certè, ſiquidem converſa fuiſſet ſuo miniſterio; non etiam ad Severum Alexandrum; ſed ad *Philippum* Imper. & ad *Severam* ejus Conjugem, idem Euſebius paulo poſt refert, de quibus infrà. Inter *Hippolyti* autem ſcripta,

*In Anton. Heliog.* p. 102.

*Act.* x. 2. *Act.* xiii. 45. xvii. 4. *Joſ.* L xx. c. 7.

*Hiſt.* L. vi. *Cap.* xxxvi.

quo-

quorum Laterculus Romæ effoſſus ſuperiori ſeculo A. 1551. & in Vaticanam Biblioth. illatus, atque à variis deinceps illuſtratus, memoratur Προτρεπτικὸς πρὸς Σεβηρεῖναν. Quam Severin. fuiſſe Alexandri Severi Conjugem, ſub quo ſanè inprimis inclaruit nomen Hippolyti, inani conjecturâ quidam hariolati ſunt, legent. pro Σεβηρεῖναν veriùs Σεβηρελάναν, quæ à Marito ſic nunputa fuerit, ut Auguſtæ aliæ, vel Coloniæ quæ ab Imperatoribus denominatæ, dictæ *Juliæ*, *Hadrianæ Antonianæ*, *Alexandrianæ*, &c. Sed illud gratis nullo facem præferente Hiſtorico, neque Ælio Lampridio in Alexandro Severo, neque etiam Nummis qui ſuperſunt; & ſimpliciter *Memmia* dicitur uxor Alexandri, à patre *Sulpitia* cognom. quidam illi addunt, *Salluſt. Orbiam Orbianam*. Undè legit Monachius noſter, προτρεπτικὸς πρὸς Σεβήραν, quæ fuerit *Uxor Philippi Arabis*, *& filia J. Mammeæ*, novâ conjecturâ, de quâ verbum infrà ubi de *Philipporum* credito Chriſtianiſmo. Cæterum ſi Euſebius Mamæam verè *Chriſtianam* fuiſſe opinatus eſſet, expreſſius id non modò in Hiſtoriâ ſignificaſſet, ſed & in Chronico, hujuſque tranſlator Hieronymus. Quo magis *J. Mameæ* in hoc meminit ad A. CCXXXII. *In Mamæam matrem Alexander unicè pius*, (quæ ipſiſſima ſunt etiam Eutropii) *& ob id omnibus amabilis*: Ac paulo poſt, ad A. CCXLVI. ubi de Philippo Gordiani Succeſſore; *Primus omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuit*. Et antè ad A. CCXVIII. *Abgarus Vir Sanctus* (Chriſtianus ſcilicet) *regnavit Edeſſæ, ut vult Africanus*.

Eutr. L. VIII. C. XIV.

XIII. Porrò de *Mamææ* Chriſtianiſmo altum tacent, præter Euſebium & Hieronymum, vetuſtiores Hiſtorici. Non modò Dio Caſſius, Herodianus, Iulius Capitolinus, Eutropius, Zoſimus, Lampridius, Aur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

Victor, Gentiliſmo addicti, ubi res Alexandri Severi & Mamææ tradiderunt: Sed etiam Chriſtianæ Hiſtoriæ ſcriptores, vel Chronographi, Lactantius, Sulpicius Severus, Ruffinus, Proſper Aquitanicus, Auctor Chronici Alexandr. Joh. Malala Antiochenus; ne addam Athanaſium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, Cyrillum, Theodoretum, ſimiles, quibus non una fuit occaſio memorandi hujus Auguſtæ fidem, & Chriſtianæ Eccleſiæ aggregationem. Nam qui Theodoretus meminit in Dialogis, Epiſtolæ Hippolyti πρὸς Βασιλίδα
*Dial.* II. *T.* IV. *Oper. p.* 88. &c. τινα *ad Reginam quandam*, precariò nimis hæc Mamæa ſupponeretur fuiſſe illa *Regina*; quin videntur deſumpta ex Hippolyti προτρεπτικῷ πρὸς Σεβηρείναν, quæcunque illa *Severina* fuerit. Jam ſi propriùs inſpicimus qui pro Mamæâ Chriſtianâ citantur ſcriptores, luce meridianâ clarius apparet, omnia ex uno *Euſebii* loco eſſe deprompta. Nam plerique iiſdem cum Euſebio verbis referunt, nixi epithetho θεοσεβεστάτης, & colloquio cum *Origene* Antiochiæ habito: Cætera de ſuo addunt, quæ non dixit Euſebius. Georg.
*Sync. ad A. Incarn.* 215. *pag.* 358. Syncellus, ad tempora Alexandri Mamææ; Θεοσεβὴς ἂν σφόδρα. Αὕτη λέγεται ὁμιλῆσαι Ὠριγένει ἐν Ἀντιοχείᾳ διατρίβουσα. Jam de ſuo hæc adjicit: Quod omnibus τῶν χριστιανῶν διδασκάλοις προσέκειτο, & quidem
*Gly. Ed. R. p.* 245. διὰ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν. Glycas Annal. Parte III. Μαμαία θεοσεβὴς οὖσα τὸν Ὠριγένην ἐξ Ἀντιοχείας ἐκάλεσε, ὥστε τὸ κατὰ Χριστὸν διδαχθῆναι μυστήριον. Scilicet *pia quum eſſet*, (ſanè hoc ante accerſitum Origenem) hunc in finem *evocaſſe Antiochiam, ut ab eo de Myſterio Chriſtiano edoceretur*. Nicephorus, Hiſtoriæ *Lib.* v. Mamæam, cum eſſet θεοσεβὴς μᾶλλον καὶ μάλιστα εὐλαβὴς τὸν τρόπον, jam talis habita antè accerſitum Origenem,

ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

ab eodem *excitatam ad amorem Chriſtianæ diſci-* Nic. Hiſt.
*plinæ*. Unde illud θεοσεβὴς non neceſſario reſpexit fidem L. v. C.
in Chriſtum. Suidas paulo aliter, in eundem tamen XVII. Tom. I.
ſenſum: Μαμαῖα εἰς λόγους ἐν Ἀντιοχείᾳ συνῆλθεν Ὠριγένει. καὶ παρ' αὐτοῦ κατηχήθη τὸν λόγον, *Mamæa Antiochiæ venit in colloquium cum Origene, & de religionis doctrinâ ab ipſo vivâ voce edocta*, vel inſtructa fuit, vel qualis eſſet vivâ voce accepit. Abſurdiſſimè Oroſius, Hiſtoriarum *Libro* VII. *Cujus Mamæa Chriſtiana, Origenem Presbyterum audire curavit.* An *Chriſtiana* antequam Origenem audiret? Imò omnes, ab Origene de Chriſtianâ religione, myſteriis, cupidam audire; quo facto, collegerunt ab eo fuiſſe converſam.

XIV. Sed verò *Mamæam*, quamvis comparatè ad ſororem *Jul.Soæmiam* (*probroſiſſimam mulierem, & dignam filio* Heliogabalo) ſanè caſtam, & magni ani- Lampr. in Heliog.
mi, prudentiæ, induſtriæ, fœminam, quæ Filium ad præclara omnia & laudabilia finxerat, interim longè abfuiſſe à Chriſtianâ indole, Chriſtianiſque virtutibus, Hiſtorici ſummâ conſenſione teſtantur. Primò ſuprà modum faſtuoſam fuiſſe, & dominandi avidiſſimam, teſtes Hiſtorici. Hinc Filio, qui *ſine faſtu & amaritudine animi blandus & affabilis* erga omnes fuit, Lamprid. in Al. p.120.
*objecit nimiam civilitatem Mamæa mater*. Sic eandem voluiſſe ſolam appellari βασίλισσαν, invidentem hanc προσηγορίαν Uxori Alexandri, teſtis Herodianus. Ità reliquiſſe Filio σχῆμα quoddam ſeu *figuram* & *nomen* Imperii, præter Hiſtoricos, etiam Julianus in Satyrâ ſuâ ſalſè exprobravit Alexandro Severo; ὦ Iul. Cæſares, Oper. p. 313.
μῶρε καὶ μέγα νήπιε, τηλικοῦτος ὢν οὐκ αὐτὸς ἦρχες τῶν σεαυτοῦ, *O te hominem amentiſſimum, qui ad tantum dignitatis faſtigium elatus, tuas res ex animi tui*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

*ſententiâ non adminiſtraſti.* Inde factum ut Numiſma antiquum, in Gazâ Chriſtianiſſimi Regis, expreſſerit ſimul effigiem *Alexandri*, & *Jul. Mameæ*, cum Inſcr. *Mater Auguſti*; ut alius apud Triſtanum, Alexandro ſòciat *Juliam Moeſam* aviam. Secundò, avaritiæ ſordibus fuiſſe contaminatam, φιλοχρήματον ſeu pecuniæ avidiſſimam, ſine modo & fine, ἰδίᾳ theſaurizantem, hinc gravem populis; ipſo filio Alexandro hoc nomine illi ſuccenſente, πάνυ ἀσχάλλοντος, rurſùs ex Herodiano, Lampridio, Juliano, & aliis intelligere eſt: Zoſimo matris vitium malè exprobrante ipſi Alexandro, quaſi totus fuerit ἐν τῇ χρημάτων συλλογῇ, καὶ ἐν τῷ παρὰ τῇ μητρὶ θησαυρίζειν: Undè *Mamæa*, Syriacâ voce, quibuſdam quaſi *Mamonæ* Deæ cultrix, uſque adeo ut *quorundam hæreditates* ἐξ ἐπηρείας *per fraudem ſuppilaret*, quod Chriſtus dixit τὸν μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας. Tertiò, eandem *Domit. Ulpiano* faviſſe inprimis, quem Magiſtrum Scriniorum, ut Lampridius, Præfectum poſtea Prætorio, ut etiam Zoſimus, conſtituit, & cujus conſiliis in gravioribus regebatur, teſtes ſunt iidem Hiſtorici: Quem infenſiſſimum Chriſtianis fuiſſe, *immitem perſecutorem*, magna conſenſio eſt, uſque adeò ut priorum *Principum nefaria* in eos *reſcripta collegerit*, teſte Lactantio, *ut doceret quibus pœnis affici oporteret, qui ſe cultores Dei confiterentur.* Atque ut in Ulpianum transferret dignitatem Præfecti Prætorio, quam ante poſſederant *Flavianus* & *Chreſtus*, ſub initia Alexandrei Imperii, & Militibus id diſplicere intelligeret, utrumque conſpirans cum Ulpiano interfici juſſit, ex Dione & Zoſimo. Quartò, nulla Mamææ memorantur in Epiſcopos, in Eccleſias, in Chriſtianos, cumprimis in pauperes, & afflictos beneficia,

Ez. Spanh. ad Iulian. p. 99.
Herod. lib. VI.
Julian. loc. tit.
Zoſim. Lib. I. C. XII.
Herod. L. v. p. 291.
Luc. XVI. 9.
Lactant. Div. Inſt. V. C. XI.
Dio. Lib. LXXX.
Zoſ. Lib. I. C. XI.

cia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

cia, licet Alexander promiſcuè *pauperibus conſuluerit, quibus & pecunias ſine uſuris dedit.* Nulli horum leguntur fuiſſe interioris admiſſionis, in illo quatuordecem annorum faſtigio, ſaltem ex quo audiverat Origenem, quod initio Imperii Alex. accidiſſe putat Celeb. Huetius. Nam quod perſecutione abſtinuerit Alexander, *permittens Chriſtianos eſſe*, id habuit ex clementiſſimâ indole, non paſſura opprimi innocentiam, unde Inſcript. *Æquitas Auguſti*, & ſimiles. Deindè commune illi fuit iſtud cum Heliogabalo, Gordiano Pio, Philippo Arabe, Gallieno, Impp. Ità quod *Chriſti* imaginem in Larario ſuo habuit, fecit hoc non ex religione in Chriſtum ut *Deum*, ſed quod Sanctiorem hunc fuiſſe exiſtimaret; uti veneratus eſt Abrahamum, Orpheum, Alexandrum M. Achillem, Ciceronem, imò *Apollonium, & hujuſmodi ceteros*, ſic enim legendum Salmaſius putat. Ita hunc Magum æquiparavit Chriſto Servatori, Alexandrum M. omnibus prætulit. Addit quidem Lampridius, *Chriſto Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere*; ſed hoc ipſo Gentium polytheiſmo addictus Alexander, & nihil ille ſuprà Hadrinum, *qui hoc ipſum cogitaſſe ferebatur*, teſte eodem Hiſtorico. Quintò, paſſa Mamæa cudi in honorem ſuum Nummos, cum Inſcriptione planè Gentili & Idololatricâ. Hujuſmodi illæ, in Gazis R. Gall. Medic. & aliis; *Julia Mamæa Aug.* & averſâ parte, *Juno Conſervatrix*, cum *patenâ, haſtâ*, & *Pavone*: Sic *Juno Auguſta*, cum *Sceptro*; In Nummo alio, viſitur *Mamæa ſedens*, & *tres Deæ* ſtantes, putatæ nonnullis Iſis, Luna, Diana. In alio Magneſiorum Nummo, apparet ſub imagine *Cybeles Matris Deorum*; aliàs ſub imagine *Dianæ* expreſſerunt Epheſii Νεω-

*Origenian. L. I. C. II. N. VII.*

*Lamprid. in Alex. Sev.* 123. 129.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

κόροι. Sic Alexander Severus, in iiſdem Gazis, viſitur cum Inſcript. *Jovi Conſervatori*, & Imagine *Jovis* ſtantis, qui dextra *fulmen* tenet. Ità ad exemplum M. Aurelii Philoſophi, qui Fauſtinæ Conjugi *Sacerdotes Puellas* dicaverat, *Fauſtinianas* appellatas; ſimiliter Mamæa paſſa eſt Alexandrum, in honorem ſuum, & ejus haud dubiè inductu, inſtituere *pueros* & *puellas*, qui de nomine ſuo dicerentur *Mammæani* & *Mammæanæ*, referente Lampridio. Sextò, repugnat etiam Mamææ Chriſtianiſmo, quem palam profeſſa dicitur, ejuſdem ἀποθέωσις & conſecratio. Quæ, ut & illa Alexandri Severi, ex Nummis intelligitur, & Inſcriptione, *Diva Mamæa Aug. Divo Alexandro*, ut *Divi* dici conſueverant Auguſti conſecrati, indè à Jul. Cæſare. Quales quidem Nummi cuſi non juſſu Maximini, qui in domum & familiam Alexandri deſæviit, ſed juſſu Senatus Rom. abſque quo nemo recipi poterat in numerum Deorum. Pariter conſecrata Jul. Mæſa Mater, quæ extremâ ſenectute diem obierat, Alexandro jam ad Imperium evecto; ſub quo ἐξεθειάσθη *inter Deas relata* eſt, & Nummi fabricati, *Diva Moeſa Auguſta*, apud Goltzium & alios. Certè Chriſtiana fœmina, moris Romani & Idololatrici non ignara, prævertere omni ratione iſtiuſmodi Idololatriam debuit. Quemadmodum & illam Alex. Filii, qui quotidie in Larario ſuo ſacra faciebat *Diis* ſuis, quorum alios antepoſuit, alios ſaltem æquavit *Chriſto*: Planè ut *Marcellina*, quæ cum impio Carpocrate conſueviſſe dicitur apud Irenæum, Epiphanium, Auguſtinum, fertur coluiſſe cum Chriſto principes Philoſophos, Homerum, Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, eorumque Imagines promiſcuè habuiſſe. *Chriſtus* certè abeſſe ab eâ Societate debuit, ſiquidem Mater verè Chriſtiana. XV.

*Lampr. in Alex. 34.*

*Euſeb. L. VI. C. XXVIII.*

*Herod. Lib. VI p. 233.*

*Epiph. H. XXVII. N. VI.*

XVI. Unde gratis Baronius cenſet, *Mamæam poſteà degeneraſſe, & à priſtinâ illâ optimâ morum inſtitutione, ex Chriſtianorum conſuetudine comparatâ, deſciviſſe, poſt collatum Filio Imperium.* Hinc demum factam *avaram*, ſed & *ſanguinariam*, ut quæ *Sulpitium*, Patrem uxoris Alexandri occidi mandaverit, teſte Herodiano, ſed & Flavianum, Chreſtum, alios, ut ſupra. Verùm illam cum Chriſtianis conſuetudinem, antè collatum Filio Imperium, unde habuit Baronius? Nam Euſebius & omnes arceſſunt ab eo tempore, quo *Origenem* ad ſe Antiochiam evocavit, & de Chriſtianorum rebus accepit. Factum autem eſſe ſub initia Principatus Alexandrei, Huetius & alii contendunt; Pagi verò in *Criticâ* Baronio oppoſitâ, accidiſſe rem multò ſeriùs, & profectionem eam in Orientem, ubi viſus illi Origenes, refert ad A. Chr. ccxxix. quo Alexander profectus ſit ad adverſus Perſas: Tillemontius verò Gallus, *Notis* ad Alexandr. Severum, prolixè probat contrà Pagium, Alexandrum non in Orientem profectum niſi An. ccxxxiii. vel ccxxxiv. Ne referam huc qui prædicantur Martyres ſub Alexandro, A. ccxxvi. ut ſignat Baronius, & Martyrol. a. d. x. Maii, *Palmarium* Conſularem, *Simplicium* Senatorem, cum *Uxoribus*, *Filiis*, & aliis benè multis, faciente ſcil. Ulpiano, Mamææ ab interioribus conſiliis. Denique acceleratum Filio exceſſum fuiſſe avaritiâ Matris, & Mamææ ſordibus, nimiâque parſimoniâ ergà milites, quâ inviſum cunctis Alexandrum reddiderit, obſervant Hiſtorici, & σύγχρονος Herodianus. Undè ipſe Filius matri in extremis implicitus, dicitur ἀποδυρόμενός τε καὶ αἰτιώμενος ὅτι δι' ἐκείνην ταῦτα πάσχει, *magnoperè conqueſtus, accuſans quod propter iſtam talia pateretur.* Hæc de Mamæa dicta ſuffi-

*Ad Ann. ccxxv. N. vi.*

*Herod.* L. vi. *p.* 291.

*Pagi. Critic. Ad Ann. ccxxix.*

*Herod.* L. vi. *p.* 323.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

ſufficiant. Gravior autem quæſtio de Philippo Arabe, & Conjuge Otaciliâ, & Philippo filio, num *Chriſtianis* acceſſerint; quod plerique Veteres & recentiores ſtatuiſſe videntur. Quâ de re proximè σὺν Θεῷ.

# Annexa Reſpondentis.

I.

*Quidquid Spinoſa, Hobbes, aliique fabulentur, nos Moſen Pentateuchi auctorem defendimus; candide interim fatendo, quædam ipſi attribui non poſſe.*

II.

*Generalis Judæorum converſio, & major Evangelii extenſio ad Gentiles, nobis adhuc quam certiſſime exſpectantur, juxta vaticinia utriuſque Fœderis.*

III.

*Cum perſeverantia ſanctorum recte à noſtris teneatur contra omnes Adverſarios, hinc Salomonem poſt graviſſimum lapſum revera converſum eſſe non dubitamus.*

IV. *Ma-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

IV.

*Magnas certe cum Purgatorio ſuo nugas agunt Pontificii, ab Origenis doctrina diſtinctiſſimo, tam ratione perſonarum quam temporis.*

V.

*Miracula in Sacris literis æternæ veritatis contenta negare, quid eſt niſi totam ſcripturam ridere, & Atheiſmi ſemina palam ſpargere?*

VI.

*Magnum Origenem, Euſebium Cæſar. Marcellinum Rom. Epiſc. lapſos eſſe in Perſecutione, negamus.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

# השיר הזה

*Doctiſsimo Juveni*

## D. ANTONIO CONYNENBERGH.

הקדמוניות      שהיו לפני רבים
עולמים      לפעמים בחושך נעלמות·
אך אנשי השם      שיודעי ספרי מעשים
דורשים      חוקרים אותן      מעליהן מתהומות

החושך לאור ׃ ובכולם גאוה גאה
מר ספנהימיום הגדול      באלהיות
ובמעשיות מורה דעדע ׃ היום הראה
דוגמא נסמן בשתי תולדות קדמוניות·

ובממאה אוגוסתא      ובמלך לוקיום ׃
אשרי תלמידיו·      אשרי שומעי חכמותיו ׃
יש בינותם ארון קונינגברגיום
היושב תמיד על רגליו ׃ הוא בחמודיו·

שמפיו קיבל מוסר הטוב באמונה·
שגם בפלפול מודיע שיבוח דעתו
בישיבתנו ׃ ובעתו ימסרנה
לערת האלהים      שתהיה לפקודתו ׃

*Intimæ neceſſitudinis cauſa gratulabundus*
*cecinit*

CAROLUS SCHAEF

*Linguæ Hebrææ & ejus Affinium Dr.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

# AD

*Excellentem vario eruditionis genere*

# JUVENEM ANTONIUM CONYNENBERGH,

DE

# LUCIO & MAMMÆA

non Converſis ad fidem Chriſtianam, publicè diſputantem.

Ergo tuæ ſurgit, JUVENIS, ſententia menti
  Doctrinæ rurſus præmia ferre nova!
Materies Tibi nuper erat ſacra pagina pugnæ,
  Jam promptè priſci temporis acta doces.
Converſo pridem tollant ſe REGE Britanni,
  Tradere eos nobis plurima ficta probas.
Indefeſſa Dei cultrix MAMMÆA vocetur,
  In grege quod Chriſti ſit numeranda, negas.
Sic verum falſo diſcernis, Cauſaque Chriſti
  Queis verè placuit nomen ubique Canis.

JOH. HENR. à MARCK,
JOH. FIL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

# ANTONIO CONYNENBERGH.

Sic Leidenſe mihi contingit adire Lycæum,
Et junctum ſociis vivere, ut ante, meis.
Sic mihi Te reddunt, ANTONI, Fata ſodalem,
Inque Tuas laudes me ſimul ire jubent.
Te Batavæ Muſæ, gaudet Te, Pallas alumno,
Datque operis pretium, Laurea ſerta, tui.
Et tantos inter plauſus & dona Dearum,
In medio ſtarem mutus inerſque choro?
Haud ita: me carmen, quam fers, nova Gloria poſcit;
Carmine ego, pennis Te vehit illa ſuis.

GODOFREDUS CLERMONT.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 120